DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PATHOLOGIA ET MEDELA DYSENTERIAE:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS GREEN,

ANGLUS.



Et neque jam color est misto candore rubori;
Nec vigor, et vires, et quae modo visa placebant;
Nec corpus remanet.

OVID. MET. III. 491.

Quarto nonas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIV.

JACOBO MACARTNEY,

M. D., F. R. S., M. R. I. A., &c.

NATOMIAE ET CHIRURGIAE IN ACADEMIA EBLANENSI

PROFESSORI,

OB DOTES ANIMI, ET BENEVOLENTIAM CORDIS

PRAECLARO,

HANC DISSERTATIONEM

TESTIMONIUM ANIMI HAUD INGRATI,

PARVUM SED SINCERUM,

OFFERT

DISCIPULUS

THOMAS GREEN.

Principia scientiae medicalis, sub auspicio tuo didi-i. Me tibi obligatum tenes tam ob praecepta Profes-oris quam beneficia amici, et quocunque me fata du-ant, illa semper aestimabo, horum nunquam oblivis-ar. Ut diu vivas, valeasque ornare illam scientiam n qua ad tam altum gradum dotes te vexerunt ex imo ectore voveo.—VALE.

Edin. Prid. Kalend. Augusti.

RICARDO DEVEREUX,

ARMIGERO,

VIRO

INGENIO ATQUE PROBITATE AEQUE INSIGNI,

HAS PAGINAS,

AMICITIAE ET BENEFICIORUM

HAUD IMMEMOR,

CONSECRAT

AUCTOR.

" The very sea-mark of my journey's end."

" I beseech your Grace, let it be booked with the rest
" of this day's deeds."

Shakespeare.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

THOMA GREEN, AUCTORE.

Functiones plurimae vitae organicae* ex telâ mucosâ pendent, si haec laboret, illae plectuntur. Multas variasque conditiones morbosas, in omni sexu, aevo, et regione, haec membrana sibi vindicat. Equidem credo licere mihi dicere, haud ullam texturam corporis humani, morbo procliviorem esse. Nunc pauca de mutationibus structurae partis hujusce membranae, in hac dissertatione dicere statui, et praesertim quod recentiorum experientia pathologiam, et rationem medendi dysenteriam emendavit.

* Bichat.

Laesiones intestinorum, in hoc morbo, scriptores ad tria genera attribuere solent. Primo, tunica mucosa, sanguinis plus justo, vasis suis continet; et dehinc, haec tela ruberrima videtur. Secundo, texturâ nimirum aliquantulum mutatâ, sed ad ulcerationem non aggressâ, membrana mucosa aliquanto crassior vel firmior praeter naturam fit. Tertio, tunicae intestini, plus minusve mutationis ostendunt, sive condensae, seu ulcerosae sint. Si primo vel acri gradu morbi, aeger mortuus est, tela mucosa, praesertim colonis et caeci, valde rubicunda videtur; testatur certe, inflammationem adfuisse; sed hoc non saepe videamus, quia plerumque ulceratio, vel alia injuria viscerum mortem praecedit. Aegroti ràro inflammatione ipsa, saepissime consecutionibus succumbunt. Cum morbus aliquandiu manserit, intestinum aliquatenus mutatur a structurâ naturali. Frequenter ulcerationes, nonnulla parte conspicere possumus, colon praecipue affici videtur; propterea quod, ut opinor, in hac divisione canalis, faeces vùlgo

coacervantur, donec tantum irritationis, quanto expulsioni opus sit, excitent. Sic faeces cum maximis, non solum inflammationem fovent in hac portione, quamdiu diathesis phlogistica per hoc viscus constet, quinetiam inflammatione perfectâ, cuncta indicia aggravant, et praesertim omnes effectus per colon pejores reddunt: abhinc plenè et frequenter alvi solutione opus est. Ulcera nunc parva et conferta sunt, nunc magna pars telae mucosae ulceratione erodi videtur; interdum margine elevatâ et tumidâ, tela cellularis inter musculosam et mucosam jacens, fundamentum ulceris format, aliquando utcunque haec tunica corripi apparet, tunc tegmen musculosum basis ulceris fit, et inflammatione supra jacente parum afficitur. De hoc "Baillie," memorat, et quam expresse, sectioni scalpello factae similitudinem refert. Equidem sic vidi, veluti tela mucosa et cellularis, caute et accurate, portione aliqua intestinorum sectae fuerunt; fibris circularibus carnis planè apparentibus; haec aversatio musculi ab inflamma-

tione, in aliis partibus corporis ac intestinis conspici potest: praesertim in abscessu psoae, materia musculi ipsius, penitus ulcerationem evitare videtur. Tela cuncta cellularis, quae musculos inter se dividit, in pus convertitur, saltèm pure omnino corruptus est; si pus, structurâ cujusvis unius musculi, scilicet iliaci interni, inesse visum est, telam cellularem fibrillas musculosas aliam aliae separantem partem effectam esse invenietur. Quoties suppuratio adsit, tunica submucosa pus continet; hoc egomet non vidi; sed abscessum duodeno apparuisse narratur.* Colon ipsum saepe multum contrahitur, et parietes ejus maximè densati; intestino transvèrse secto, concretio in tunicâ submucosâ omnino videtur. In Dysenteriis inveteratis, parietes interni colonis et recti, quam maxime corrumpuntur, nihil membranae naturalis cernitur; tunicae cunctae densatae sunt, interna pendens et pannosa, dura et crassa, et colore, livida vel nigra est; hi sunt ef-

* M. Andral, in Journal de Medicine.

fectus prioris phlegmasiae. Interdum tumores fungososi, unicuique parti ventriculi, aut intestinorum affixos, et grumo adpletos invenimus. Tumorem hujusmodi, ad curvaturam magnam ventriculi per totum cursum affixum vidi, et inter laminas omenti majoris jacentem: pars interna persimilis fungo haematodi, aut sarcomati medullari: si ulceratio adesset inter hunc et tunicas ventriculi, iter aliquatenus a tumore ad stomachum ulceratione factum esset, vomitus, et dejectiones sanguinolentae sequerentur. Nosoc. Regio Edin. per hanc hyemem, tumorem aliquantulum huic comparem, cernere mihi contigit. Ægroto Dysenteriâ intereunte, et corpore patefacto, tumor a vertebris lumborum ad anum super os sacrum tetendit, inter rectum et sacrum jacens, et in plicaturis mesorecti aeque ac inferioris mesocolonis, positus fuit. Tumor ipse cartilaginosus per partem exteriorem fuit, interior ulceratione pannosâ penitus corruptus apparuit; multa parva ora fuerunt, inter rectum et interiorem tumoris communican-

tia, per quae multum saniei et cruoris fluere solebat: indicia ante mortem ulcera visceribus plane monstrabant. Quoties Dysenteria phthisi supervenerit, intestina ulceribus erodi videntur. Magnum spatium membranae mucosae, et colonis, et ilei, quasi granulis albidis vel subflavis maculatum cernitur; hae granulae aliquando exiguae sunt veluti papulae, et creberrime per telam mucosam sparsae sunt; interdum ampliores sunt, instar tuberculorum, et non infrequenter tunica interna hoc acervo albo tegitur. De his tuberculis "Pringle" memorat, et pustulis Variolae per cutem sparsis aequat, ille rara ea fuisse putabat, sed nunc frequenter anatomico conspiciuntur; haec tubercula intestinis, ejusdem naturae sunt ac tubercula pulmonibus deposita, et ferè cum his simul existunt. Materiâ strumosâ in cellulis telae submucosae ipsius positâ, haec tubercula factae sunt: ut morbus aggreditur crescunt, et membranâ mucosâ quae superjacet, per absorbentia remotâ, supra tunicam internam sese tollunt. Tela mucosa inter haec tubercula

jacens rubra videtur, quasi specie sub-inflammationis laboret. Professor ALISON putat, et certe demonstrat, vasa quae sanguinem his tuberculis vehunt materiâ scrophulosâ cingi. In hac dissertatione, de gangraenâ intestinorum memoravi, quod de hoc intelligam dicere vellem; nigra, livida, vel subnigra est membrana mucosa, crassior et densior justo, ut telâ subjacente facile tolleretur; cellae telae submucosae sero interdum livido implentur; aliquando haud multum mutationis, in telâ musculosâ vel peritonaeo, observandum est. Congestio venarum, potiusquam inflammatio, hepar morbosum comitatur. In hydrope, morboso hepati conjuncto, quoties diu moratus est, venae parvae, contortae, et convolutae apparent veluti varicosae, causa manifesta est: hoc, in tunicâ cellulari intestini maxime videndum est, ubi nobis copia est hanc contortionem bene observandi. Hìc hepar est pars prima morbo affecta, refluxioni sanguinis per Cavam et Venam Portae obstans, congestionis hujus venosae et denique hydropis

causa fit. Sanguis, etiam ad multas libras, ex intestinis per os et anum, sine ullâ rupturâ vasorum, vel sine solutione continuitatis, membranâ mucosâ effundi potest. Nonnulli negant, hydropem ad intestinum tendisse; sed haec opinio mihi erronea videtur, nam serum in cellis telae submucosae, hydropem, et praesertim anasarcam generalem, saepe comitatur.

Ex hac enarratione, in duos status dividere Dysenteriam licet; primo, adest inflammatio acris telae mucosae ipsius, plus sanguinis arteriosi vasis per hanc tunicam dispersis propellitur, auctae cordis contractiones, et frequentiores arteriarum pulsationes comitantur. Secundo, medico omnino absente vel remediis inefficaciter admotis, morbus pergit, et omnes consecutiones inflammationis indomitae, sicut ulceratio, suppuratio, vel gangraena adsunt. In primo statu, tunica mucosa intestini tantum afficitur, in secundo, aliis tunicis extenditur morbus. De indiciis et medelâ primi solum, sci-

licet inflammationis acris tunicae mucosae intestinorum, nunc pauca dicere pergam.

Sensus frigoris, dolor alicujus partis abdominis, aliquando fixus, sed etiam saepe torquens aut cursum colonis sequens, dejectiones frequentes, stercus fluidum primò continentes, sed quidem morbo aggrediente mucosum, sanguine commistum vel tinctum; nausea, sitis, et rigores primum aggressum hujus morbi ostendunt. Si haec symptomata per paucos dies manserint, morbus formam graviorem sibi assumit. Augetur dolor, necnon tormina pressu aucta, nil fere alvo exprimitur, praeterquam dejectiones spumosae mucosae, et sanguinolentae, admodum foetidae. Sellae naturales rarissime apparent, nisi quoties venter idoneis medicamentis bene exoneratus fuerit. Tenesmus, lingua, magna ex parte crustâ tecta, vomitus, pulsus rapidus et durus, et calor cutis auctus adsunt. Functiones ventriculi quam plurimum laesae sunt. Morbo procedente, cuncta indicia gravissime pergunt, et exitium plus mi-

nusve telae mucosae certe corripuisse, saepe parum sanabile, saepius vero immedicabile, cunctis remediis quae ars medicinae nobis tradiderit, amplè et abundè testantur. Tormina immania nunc aegrum vexant, adeo ut pressura levissima ad ullam partem ventris admota vix toleretur. Nausea et vomitus, aliquando aggrediuntur; et tandem, motu intestinorum penitus inverso, ventriculus non raro cuncta, tam cibum quam medicinam pertinaciter rejicit. Frequens et inanis cupiditas desidendi, immani nixu adest, et nihil exprimitur. Conatus quos infelix aeger nonnunquam facit, ut exoneret rectum, et sic aliquod leniminis sibi obtineat, tam magni sunt, ut vires frangant nixu jam antea facto. Aliquando pars recti ipsius, per conatum protruditur.

Haec sunt indicia hujus mali, quae gradus morbi ostendunt. Dysenteriam, nunc Febris Synocha, nunc Typhoidea, interdum Intermittens, comitatur. Morboso hepate pendere dicitur; hìc pyrexia saepius abest,

et signa potius vitium locale quam inflammationem indicant. Nonnunquam ex consecutionibus Phthisis una esse videtur, nimirum ulcerationem ad intestina tendisse vero ostendit, adeoque pessimi ominis est.

Omnia quae sanguinem ex parte externa corporis ad viscera propellant, et sic exhalationi per cutem obstent* causae praedisponentes hujus morbi sint. Inter has, humiditas, et frigus corpori admota, necnon tempestatum subitae varietates, nunc tam frequenter nostris regionibus visae, recensenda sunt. Omnia acria ad ullum viscus, vel abdominis, vel thoracis, adhibita, inflammationis internae, causae sunt excitantes.

---

* Excretione per cutem sic repulsâ, si urina ut plerumque solet copiosior fluat, et si ulla inflammatio sequatur, pulmonum vel aliorum viscerum erit, more solito desinens. Sed si urina non liberior fluxerit, deinde talis inflammatio membranae cellularis, vel serosae, vel ambarum producitur, qualis in hydrope fere terminatur.

Dysenteria indiciis sibi propriis gaudet, itaque ab Enteritide, Colicâ, et Cholerâ, distinguere licet, et oportet. Emissiones sanguinis per anum, haud infrequenter fluunt, hae dejectiones sanguinis multis causis oriuntur, sed praesertim e congestione venae portae. Cuncta quae premunt venam cavam ascendentem, vel circuitui sanguinis per hepar obstant, hanc congestionem efficere valeant. Ab hac causa, omnia viscera abdominis sanguine onerantur, et non solum viscera, sed etiam membra inferiora laborant; sicuti in ascite, per cavam abdominalem sanguis male se transmittit: quamobrem vasa totius telae cellularis sanguine venoso implentur. Tota pars membranae cellularis, tam viscerum, quam membrorum inferiorum, sanguine nigro opprimi videtur. Haemorrhagiis ab intestinis sic orientibus, febris, tenesmus, et dejectio mucosa desunt. Dysenteriam Enteritide dignoscere licet aggressu velociore doloris et cruciatus, dyspnoeâ, absentia dejectionum mucosarum et alvo pertinaciter adstrictâ, quae in Enteritide videntur.

In Diarrhoea sanguis et pyrexia absunt et exinanitiones stercora continent.

Colica nullam habet febrem, pressurâ dolor lenitur, haud permanens, sed intervallis redit, et constipatio alvi adest. In Cholera humoris biliosi vomitus, necnon dejectiones adsunt. Haemorrhoides, quoties sedem alte in recto habent, multum irritationes per rectum, dejectiones sanguine intertinctas, et tenesmum producunt ; hinc diagnosis inter hanc affectionem et Dysenteriam aliquando difficilis fiat. Dolor haud ultra hypogastrium tendens, emissio stercoris, et enarratio morbi, in discrimine inter hos morbos nobis adjuvabunt.

Haud ullus morbus insidiosior aggressu, neque ullus quoties semel hominem invasit, iterum iterumque reverti proclivior est. Viri praeclari qui morbos accurate et diligenter cognoverunt, et qui experientiâ, quibus novis et variis formis morbi sese induant in omni homine, secundum constitutionem, ha-

bitum, et temperationem mutati, compererunt, prognosin facere, plerumque difficile et semper incertum esse fatentur. Ergo non paratus sum dicere, quae sint indicia, quibus cognoscamus, an faustus vel infaustus, exitus hujus affectionis fuerit. Nimirum signa sunt duas terminationes inflammationis internae denotantia; scilicet Febris Hectica, ulcerationem vel suppurationem denotat; et omnes vires vitae labantes gangraenam accedere testantur: Quoties exinanitiones solidiores sed cruciatu rejectae fiunt, sudores immanes et sitis adsunt, pulsus frequens et debilis est, Aphthae ore et faucibus erumpunt, cum dolore violente, ulcerationem adesse credendum est nobis. Urina et stercora, inscio homine fluentia, sudores gelidi per corpus et artus manantes, pulsus infirmissimus, intermittens et vix percipiendus, membra frigida, dejectiones foetidae, et singultus, Gangraenam supervenisse indicant. Illa citius seriusve ad aliquem morbum immedicabilem festinans, haec vero ad lethalem exitum citissimè properans.

"Let him who crawls enamour'd of decay,
"Cling to his couch and sicken years away,
"Heave his thick breath, and shake his palsied head,
"Ours the green turf, and not the feverish bed;
"While gasp by gasp he faulters forth his soul,
"Ours, with one pang, one bound, escapes controul."

BYRON.

Quum abstractio sanguinis, princeps remediorum sit, quae vim inflammatoriam minuant, sic quoties inflammatio indubito adest, non praetermittenda est; nisi aliqua causa in homine affecto strenue interdicat. Auctores aiunt sese vidisse plenam dejectionem alvo, sanguinis detractionem sequi, ubi vix aliquid antea alvo dejecerit aeger. Ubi indicia aliquanto temperantur, venaesectio, locali abstractioni sanguinis, utiliter cedet.

Purgantia ad duo consilia spectant; primo, copia iis magna est, vim vasorum auctam minuendi, et secundo, ventriculo et intestinis quae continent removendi. Si mihi liceat judicare in omni gradu hujusce morbi, saltem dum acutus sit, purgatio alvi

plenè semper adesset. Nonnulli putaverunt purgantia, telam mucosam excitando, officia sua peragere; et dehinc, purgatio cautissime utenda est, ne propter excitationem necessariam inflammatio per canalem augeatur, et mali eventus usum purgantium comitentur. Haec sententia aliquâ consideratione digna videtur, sed ubi excogitamus, intermissis laxantibus, quibus stimulis, scilicet acri, vel etiam putrido stercori, membrana mucosa etiam nunc accensa objecta sit; non nobis negandum est, plus irritationis, ex acervo tali, ad superficiem accensam, et acute sensibilem apposito, quam etiam stimulo expulsioni necessario, nasci. Nonnulli aiunt, sicuti antiqui dixerunt, alimento semel intestinis expulso, usum purgantium non repeti debere, ubi cibus non ingressus sit: sed nunc agnoscitur in morbis acutis, adipem telâ adiposâ depositum, vasis resorbentibus assumi, in circuitum attrahi, et ibi nutrimentum corpori praebere, et postquam hoc munere functus est, per intestina abduci; dehinc marcor morbis acutis diu

moratis supervenit. Cathartica acria vitanda; et ea quae dum purgant, minime stimulant, selegenda sunt. Submur. hydrarg. Jalapae vel Rheo conjunctum, omni consilio respondebit. Saepe ubi vomitus adest Submur. hydrarg. teneatur, tametsi ventriculus omnia purgantia crassiora pertinaciter rejecerit. Mercurius a scriptoribus praesertim in dysenteriâ tropicâ laudatur: quamobrem Calomel. Utrumque effectum praestare potest, dum alvum solvit, aliquid effecti mercurialis habeat. Purgantia salina in hoc morbo longe praestantiora aloëticis sunt.

Fomenta interna et externa multum auxilium praebent. Saepe calor toti corpori per balneum, vel parti inflammatae per cataplasmata et fomenta adhibitus, (quae ambo praecipue per calorem et humorem effectum praebent) in morbis phlogisticis, haud parum prodest. In inflammationibus internis, hoc remedium toti corpori admotum, attrahendo sanguinem ad vasa cutis, et exhalationem per cutem restaurando, pollet.

Applicatio vaporis aquae calidae inter alios modos actionem phlogisticam moderandi, a Professore MACARTNEY, praelectionibus suis, multum et merito laudatur: peringeniosum instrumentum fabricavit, quo membrum aut aliqua pars trunci, vapori aquâ calidâ orienti objici potest, per horas duodecim, viginti, vel quamdiu vellemus, sine difficultate, et incommodo quae fomenta e laneis, per longum tempus morata semper comitantur. Haec machina non solum omni consilio cataplasmatum inservit, sed etiam multa commoda his aliena, praebet; et mihi in animo est, vaporem sic adhibitum abdomini valere dolorem et cruciatum quam maxime minuere. Praeter haec, quoque aliis rationibus resolutionem promovendi insigniter adjuvat. Fotu interno quoque nobis uti licet. Aqua per anum infundatur; enema non solum promptius, et certius purgantium officio conducit, sed vero magnopere prodesse solet in Dysenteriâ, implendo colon, et rectum, et cuncta acria, tam stercora duriora, quam secretiones suas morbosas tu-

nicâ internâ intestini, veluti lotio, abluit. Enemata multa commoda habent, et nil vero obstat quo minus injiciantur.

Haud paucis locis balneum non obtineatur, dehinc ad alios modos, qui excretionem per cutem promovere solent, confugiendum est. Sudor per medicamenta validiora et acriora, quia stimulant, vitari debet. Omnium quae sudorem eliciunt, nullum Tartrati Antimonii anteferendum est; vim arteriarum et cordis auctam, minuere invenietur. Emeticis, incipiente morbo, et praesertim si paulo antea, cibum ex carnibus in ventriculum sumpserit aeger, uti licet. Hoc non remoto, " rudis indigestaque moles" fit, et multum irritationis praebebit. Quoties nausea et eructationes, aliquid acre stomacho inesse ostendunt, sed vix aliter, quoque emetica adhibeantur.

Postquam indicia, abstractioni sanguinis et aliis remediis aliquanto cesserint; epispastica applicentur abdomini, ubi dolor per-

stiterit. Si vomitus pertinaciter adsit, aliis medicamentis obstans, a vesicatorio ad epigastrium saepe cohibeatur. Quoties signis quae apparent, nobis sat manifestum est, ulcerationes in membranâ mucosâ, vel formari, vel formatum iri; nonne liceat nobis Antimonii Tartras extrinsecus admotum tentare? Hoc remedium ut contra-irritans multum pollet, unguento commistum in eam partem abdominis, quae cursum coli sequitur, adfricetur, et repetatur donec pustulae multae crebraeque erumpant. Usum externum Antim. Tart. aliquando nauseam, et etiam febrem comitari vidi, quae ambo, eruptione apparente cedunt. Sed hoc incommodum parvi ponderis est, si ulcerationibus intestinorum praevenire possit.

Hydrargyrum multum laudatur praesertim in Dysenteriis tropicis, necnon morboso hepate pendentibus. Multi aiunt, ut circuitum aequare valeat, et sic in hoc morbo utile fit. Opium, Balsamum Copaiba, Carbonas ligni, Acetas plumbi, Murias sodae cum

Aceto, simul cum multis aliis, a medicis praescripta fuerunt. Cuncta restringentia quae Pharmacopeia continet invicem commendata fuerunt; sed de his credo, licere mihi dicere in inflammatione telae mucosae intestinorum, tam inutilia quam saepe noxia esse. LUDOVIC FRANC, timorem in hoc morbo pollere credens, jubet nos aegrotum quadrupedem constringere, duobus viris coercere, et deinde "Chirurgus cum ferro candente, "figuram coni habente, coram aegroto com-"pareret, et id versus anum dirigeret, quasi "id ano intrudere vellet." Illi fidem magnam tenentes, preces nuper potentissimas PRINCIPIS HOHENLOHE habent ad quas, cunctis aliis remediis frustra adhibitis, quasi ad arcem confugiendum est. Nemo dubitet quam maxime queat mens etiam morbis organicis, qui unquam verrucas incantamentis attolli vidisset, Sed ut opinor, neque ferrum candens, preces HOHENLOHE, nec incantamenta intestinum accensum sanare, quidem omnino valent. Denique cavendum est nobis, ne tempus, quod certe breve est, adjuvatio-

nem reddendi, dum incerta remedia admoveamur, dilabatur; sed in hac veluti aliis inflammationibus, cuncta remedia, quae Ars Medicinae nobis tradiderit, vim auctam cordis et arteriarum superandi, vel minuendi, utenda sunt.

Ες δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπηΐαι ἐς ἀκριβηΐην κράτισται. HIPPOCRATES.

FINIS.

CORRIGENDA.

In page 2, line 13.—4, 18.—5, 20.—6, 6.—9, 5. *pro* colonis, *lege* coli.
—— 5, —— 2. fungososi *lege* fungosos.
—— 17, —— 10. Utrumque *lege* utrumque.